

lium, solum ut est principium efficax ad vincendam unam tentationem, vel faciendum primum actum meritorium de condigno, si non mereretur de condigno illam aliam circumstantiam, profecto non mereretur de condigno donum perseverantiæ. Quod igitur justus efficiendo illum primum actum meritorium de condigno augmenti gratiæ et gloriæ, per illum non mereatur dictam circumstantiam, probatur facile. Primo, quia illud pendet partim ex speciali præfinitione divina, quæ singulis hominibus terminos dierum suorum taxavit, partim ex universali providentia Dei ordinantis cursum omnium causarum ex quibus vita et mors pendet, et interdum etiam permittentis violentam justam mortem, quæ sine alterius peccato non fit; hæc autem causarum ordo vel permissio divina est alterius rationis, et valde extrinseca respectu hominis diligentis Deum, vel alium similem bonum actum operantis, ut possit sub ejus meritum de condigno cadere.

13. *Applicantur rationes aliæ.*— Secundo, quia ostensum est hominem, qui post justificationem primam immediate moritur, non potuisse per actum, quo se ad justitiam disposuit, mereri de condigno, ut statim post justitiam comparatam decederet, quia neque actus ille de se ad hoc ordinatur, neque ex intentione operantis, neque ex lege Dei, quæ verisimiliter ostendi possit. At hæc rationes omnes inveniuntur æqualiter in primo actu meritorio de condigno post justificationem facto; ergo. Tertio, quia non omnes, qui post justificationem habent tale meritum, merentur circumstantiam illam, ut est evidens, quia si omnes illud beneficium mererentur de condigno, omnes illud reciperent, quia meritum illud esset absolutum, nam in tali præmio involvitur ablatio impedimenti ex parte hominis, et præventio, qua homo caveatur ab omni occasione ponendi obicem, et ita non posset illud meritum fraudari tali præmio. Est autem evidens non omnes habentes similem actum recipere tale beneficium; ergo non omnes merentur illud; ergo nullus illud meretur de condigno, quia hoc meritum in omnibus æque operantibus æquale est et uniforme, ut per se clarum est. Ex utroque ergo capite evidens est hunc secundum perseverantiæ modum non posse sub meritum de condigno cadere.

14. *Resolutio de tertio modo perseverantiæ.*— Venio ad tertium donum perseverantiæ magis diurnæ, ac proinde magis propriæ, in

qua per longum tempus ab aliqua justificatione prima usque ad mortem sine peccato mortali vivitur, quod donum in collectione plurium auxiliorum efficacium ad vincendas omnes peccandi occasiones post primam justificationem occurrentes consistit, ut supra explicatum est. Unde fit ut, ad merendum de condigno tale perseverantiæ donum, necessarium sit totam illam collectionem auxiliorum mereri de condigno, quia donum illud est tota illa collectio, et quicquid ab illa demas, non erit perseverantiæ donum; ergo ad merendum tale donum perseverantiæ, oportet totam illam collectionem mereri. Hinc ergo prima demonstratio concluditur, quod nemo possit de condigno illud donum perseverantiæ mereri, quia nemo potest sic mereri totam illam auxiliorum collectionem. Quod probatur, quia saltem non potest mereri de condigno primum auxilium efficax illius collectionis, neque ultimum ut ultimum est. Prior pars declaratur et probatur, advertendo auxilium efficax, quod antecedit ad justificationem, et datur ad ultimam dispositionem ejus efficiendam, non computari in auxiliis justificationis intrinsece, quia non datur ad conservationem justitiæ, sed ad productionem; unde sicut productio rei non pertinet intrinsece ad conservationem ejusdem rei, sed est quasi extrinsecum initium ejus, quia tunc non conservatur, et immediate post conservabitur, ita vocatio efficax ad conversionem, et consequenter ad infusionem justitiæ, nondum pertinet intrinsece ad auxilia perseverantiæ, sed quasi extrinsece, quia post illud necessaria sunt ut perseveretur. Hinc vero fit primum auxilium efficax, quod post justificationem completam datur ad perseverandum in illa, intrinsece computari, et includi in collectione auxiliorum, quibus donum perseverantiæ conflatur, quia jam illud auxilium datur ad gratiæ conservationem, et non productionem. Sed ostensum est illud primum auxilium efficax post completam justificationem datum non cadere sub meritum; ergo ex ea parte tota collectio auxiliorum, ac subinde perseverantiæ donum non potest sub meritum condigni cadere.

15. *Objectio.*— Dices ad donum perseverantiæ, ut tale est, solum pertinere illa auxilia, quæ ad vitandum peccatum mortale, et consequenter ad servanda præcepta conferuntur, quia ad perseverandum per se ac intrinsece, solum est necessarium vitare peccata, et consequenter illa bona efficere, quæ

ad servanda præcepta affirmativa necessaria sunt. Fieri autem potest ut primum auxilium efficax post justificationem non detur ad cavendum peccatum, vel ad servandum præceptum, sed ad faciendum opus consilii, vel alias bonum; ergo illud auxilium non computabitur intrinsece in perseverantiæ dono; ergo, licet illud gratis detur, potest ex merito ejus inchoari postea perseverantiæ donum, et sic ex parte initii non repugnabit mereri de condigno totam collectionem auxiliorum efficacium intrinsece pertinentium ad donum perseverantiæ.

16. *Solutio.*— Respondeo imprimis ad perseverantiæ donum non tantum pertinere auxilia quibus immediate servantur præcepta, vel vitantur peccata, sed illa quibus homo ad utrumque illorum præstandum melius disponitur, sicut ad auxilia justificationis non solum pertinet illud quo proxime disponitur homo ad justitiam et remissionem peccati, sed etiam illa quibus remote præparatur. Et ideo omne auxilium efficax ad bene operandum, post justificationem datum, intrinsece pertinet ad perseverantiæ donum, quia per omne bonum opus disponitur homo, et facilius redditur ad receptam gratiam conservandam, quod non obscure Concilium Tridentinum, in dicto cap. 13, sess. 6, significavit. Deinde nullum est momentum in quo homo bene operans non posset male operari, vel ipsum opus ex genere suo bonum male faciendo, vel loco illius pravum aliquod desiderium, vel quid simile habendo. Hinc ergo est ut omne auxilium efficax bene operandi sit etiam auxilium efficax ad perseverandum, quia in illo auxilio includitur, ut tunc non occurrat objectum excitans pravam cogitationem, nec occasio aliqua addendi operi, quod facit, pravam aliquam circumstantiam etiam mortalem; nam hoc totum ad gratiæ auxilia pertinet, ut supra lib. 2 vidimus, et quando ita datur ut effectum habeat, inter auxilia efficaciam computatur. Denique de illo primo auxilio dato ad bene merendum extra observationem præceptorum, interrogo an actus ille mereatur de condigno primum auxilium, quod postea datur ad servandum præceptum, necne. Nam si justus per talem actum non meretur de condigno subsequens auxilium efficax ad servandum præceptum, vel peccatum vitandum, ergo hoc posterius auxilium datur sine merito de condigno, et ab illo incipit perseverantiæ donum, nam prius negatur ad perseverantiæ

perlinere; ergo perseverantiæ donum quoad suum intrinsecum initium non cadit sub meritum de condigno recipientis, quod est intentum. Si vero justus, per illud prius auxilium datum ad bene operandum ultra observantiam præceptorum, meretur auxilium efficax, ut incipiat servare præcepta, vel ut primam tentationem occurrentem vincat, eo ipso illud prius auxilium intrinsece pertinet ad initium perseverantiæ, quia datur ad merendum auxilium, quo proxime perseverantia inchoatur. Sicut auxilium efficax datum ad petendam perseverantiam, sicut oportet, et impetrandam illam, sine dubio est initium intrinsecum doni perseverantiæ. Sic enim Concilium Arausicanum et Augustinus contra Semipelagianos dicunt inspirationem voluntatis aut orationis, qua desideratur aut petitur vera fides, ad initium fidei et gratiæ ad illam requisitæ pertinere; simili ergo modo dicendum est desiderium aut petitionem perseverandi, et auxilia, quæ ad hos actus excitant, ad donum perseverantiæ pertinere; ergo multo magis auxilium efficax ad actum pium, quo justus meretur aliud auxilium, quo primam tentationem vincat, et perseverare incipiat, ad donum perseverantiæ pertinet. Quocumque ergo modo illa prima vocatio efficax data justo ad inchoandum meritum de condigno cogitetur, necesse est ut ex parte initii donum perseverantiæ non possit sub meritum de condigno cadere.

17. *Pergit resolutio.*— Altera pars de ultimo auxilio efficaci, quo perseverantia consummatur, ex dictis in primo et secundo perseverandi modo facile probari potest. Quia in illo auxilio duo considerari possunt: unum est quod sit tale donum gratiæ, et quoad hoc dubitari potest an possit justus illud mereri, de quo statim dicam; aliud est quod tale auxilium sit ultimum, ac proinde efficax non solum ad bene operandum, servandum præceptum, et cavendum peccatum, sed etiam ad hæc præstanda finaliter, et sub hac ratione non potest illud ultimum auxilium sub meritum de condigno cadere, quia non potest justus de condigno mereri, ut tale auxilium sit ita ultimum, ut post illud vel homo amplius non vivat, vel non se offerat occasio peccati, ad quam vincendam novo auxilio indigeat. Nam rationes quibus hoc in secundo modo perseverandi probavimus de illo auxilio efficaci, quod post justificationem est primum, et simul ultimum, id probant de quocumque subsequenti auxilio, sive sit se-



cundum, sive tertium, vel quartum, aut in quocumque alio numero. Quia quod sit in tanto, vel tanto numero, respicit præterita; quod autem sit ultimum modo explicato, pendet a futuris, quæ ut hoc vel illo modo eveniant, non a merito hominis, sed ex divina ordinatione ac providentia pendent.

18. *Dubium, an saltem intermedia auxilia mereatur.* — *Pars affirmativa probatur, primo.* — *Secundo.* — *Tertio.* — Superest vero dubium an possit saltem justus mereri de condigno donum perseverantiæ quoad totam collectionem vocationum efficacium et auxiliorum, quæ ad perseverandum dantur, excepto solum primo auxilio efficaci post completam justificationem dato, et illa circumstantia ultimi auxilii, quæ non in positivo auxilio distincto consistit, sed in sola negatione subsequentis temporis vel occasionis amittendi gratiam. Videtur enim nullum esse inconveniens tribuere justis hoc meritum de condigno, quia ex illo non sequitur meritum de condigno totius perseverantiæ, quia secluso initio intrinseco, et ultimo complemento perseverantiæ, quod relinquatur non est simpliciter perseverantiæ donum; ergo, licet justus illud mereatur, non ideo meretur perseverantiæ donum. Secundo, directe probatur ita esse, quia justus per aliquem actum mereri potest de condigno aliquod auxilium efficax ad vincendam aliquam tentationem; ergo qua ratione potest per victoriam, verbi gratia, primæ tentationis mereri de condigno auxilium ad vincendam secundam, eadem potest per secundam victoriam mereri auxilium contra tertiam, et sic de omnibus subsequentibus in quocumque numero, donec perveniatur ad illam, quam Deus sua providentia ultimam esse decrevit; ergo ita successive ab uno actu ad alium procedendo, potest tandem totam collectionem illorum auxiliorum, primo tantum excepto, de condigno mereri. Hæc posterior consequentia per se nota est, et prior fundatur in paritate rationis; nulla enim major ratio assignari potest de primo actu respectu secundi, quam de secundo respectu tertii, et sic de cæteris consequenter. Primum autem antecedens probatur, quia tale meritum unius auxilii efficaci proxime subsequentis, per actum præcedentem, non repugnat gratiæ, quia tale meritum supponit gratiam sanctificantem, et prius auxilium efficax vel sine tali merito datum, vel quod ad illud tandem reducatur; nec etiam est improporionatum præmio, aut

ab illo extraneum, quia actus in quo tale meritum fundatur, est ejusdem ordinis, et procedit ex gratia et Spiritus Sancti motione, et primus actus quasi naturaliter ordinatur ad secundum, et secundus ad tertium, et sic de cæteris, ut per eos tandem ad ultimum finem perveniatur; nihil ergo illi deest ad condignum meritum sequentis auxilii per actum præcedentem. Unde argumentor tertio, nam, si non possent hoc modo auxilia efficaciam ad perseverandum cadere sub meritum de condigno, nec auxilia sufficientia et ad posse perseverare necessaria cadere possent sub simile meritum; consequens non videtur admittendum; ergo. Sequela patet, quia vel est eadem ratio, quia omnia ista auxilia sunt ejusdem ordinis, et in suo esse possunt esse æqualia, et omnia sunt principia subsequentium actuum; vel certe est major ratio in illatione, quia quo auxilia sufficientia sunt magis connaturalia gratiæ, et magis debita, eo in illis est minus necessarium meritum de condigno, et e contrario efficacia auxilia minus debita sunt, et effectus ultimæ salutis ex eis maxime pendet, ideo illorum meritum condignum maxime necessarium esse videtur.

19. *Secunda assertio — Duplex sensus assertioni contrarius.* — *Impugnatur prior.* — Nihilominus dico secundo non posse hominem mereri de condigno totam seriem auxiliorum efficacium quæ, post primum auxilium efficax homini justificato datum, ad perseverandum usque in finem necessaria sunt. Hanc assertionem, ut opinor, intendunt etiam D. Thomas et alii Theologi supra citati, estque longe probabilior quam contraria, licet non sit tam certa, sicut præcedens, ut argumenta facta suadent. Probatur autem in hunc modum, nam dupliciter intelligi potest justus mereri de condigno omnia auxilia efficaciam præter primum post justificationem datum, scilicet, ut vel per unum aliquem actum mereatur totam collectionem sequentium auxiliorum; vel quod per collectionem actuum mereatur collectionem auxiliorum, per primum merendo secundum auxilium, et per secundum actum, merendo tertium auxilium, et sic procedendo per totam auxiliorum seriem modo declarato; neuter autem modus subsistere potest; ergo. De priori probatur primo ab inconvenienti, quia sequitur posse hominem justum in hac vita per unum actum meritorium ex vi sui meriti quasi confirmari in gratia, seu constitui in statu, in quo infallibiliter non sit amplius pec-

caturus, ne que peccare possit in sensu composito ex sola suppositione talis actus, et secundum leges divinæ justitiæ, quibus meritum de condigno nititur. Consequens est valde falsum et absurdum; ergo. Sequela per se clara est. Minor autem probatur, quia est novum et inauditum in Ecclesia, imo et valde alienum a modo loquendi Scripturæ et Patrum de incertitudine perseverantiæ, et de illius dependentia a gratuita Dei voluntate.

20. *Ratio optima.* — *Progreditur proxima impugnatio.* — Præterea, quia consequens illud experientiæ repugnat. Nam ad excludendam hanc falsam imaginationem vel præsumptionem, Deus permisit cadere justos, imo et damnari post varios status sanctitatis, in quibus vel plures, vel pauciores, vel communes, vel perfectos, aut etiam perfectissimos actus meritorios de condigno exercuerant, quod esse non posset, si tale meritum præcessisset, quia per illud meruissent de justitia, ut Deus talem lapsum non permitteret; nam in merito auxilii efficaci hoc includitur. Unde optima consurgit ratio, quia vel illud meritum est tribuendum cuicumque actui meritorio de condigno post justificationem, et hoc dicere erroneum esset, quia sequeretur hominem justificatum, per quemcumque primum actum meritorium de condigno postea factum, ita firmari in gratia, ut infallibile sit, amplius non casurum, ad eum videlicet modum, quo Angelus per meritum plene deliberatum in secundo instanti firmatur in gratia, quod de hominibus affirmare erroneum est; nam præter dicta sequeretur omnes semel justificados, qui postea peccant mortaliter, nunquam habuisse veram meritum de condigno, nec augmentum gratiæ, etc. Quod valde symbolum est errori Joviniani, qui dicebat eum, qui peccat, nunquam fuisse vere justificatum. Vel illud meritum non tribuitur cuilibet actui, sed alicui insigni et heroico, et hoc voluntarium est, quia non habet fundamentum in ipsa rei natura, sive ex parte hominis et mutabilitatis ejus consideretur, sive ex parte ipsius actus qui aliud habet proportionatum, æquale, et quasi connaturale præmium, ut statim ostendam; neque in divina institutione et positiva ordinatione, quia neque revelata est, neque illius indicium, aut vestigium habemus; quin potius experientia dicta contrarium non obscure ostendit.

21. *Impugnatio altera a priori.* — Tandem est optima ratio a priori, quia unusquisque

actus, sive ordinarius, sive insignis et heroicus, ex natura sua ordinatur ad beatitudinem æternam, et consequenter ad perfectionem ejus et divinæ amicitiae ac gratiæ augendam, et in hoc habet præmium condignum et proportionatum, et ideo solum illud est promissum in Scriptura actibus justorum tanquam essentielle præmium; sed collectio auxiliorum efficacium ad perseverandum in sanctitate est insigne beneficium omnino distinctum, et alterius rationis, quod ex natura rei non habet connexionem cum præcedenti actu, qualiscumque ille sit; ergo tale beneficium non cadit sub meritum de condigno alicujus singularis actus, cujuscumque perfectionis aut gradus cogitetur. Patet consequentia, tum quia alias præmium semper esset ultra condignum etiam in hac vita; tum etiam quia nulla de tali præmio extat promissio, nec intrinseca proportio, nec extrinseca Dei ordinatio. Et hæc ratio eodem modo procedit de quacumque multitudine, quia unumquodque opus habet proportionatum et condignum præmium sine perseverantia, et ex omnibus illis actibus simul sumptis resultat proportio ad aliud præmium extra cumulum præmiorum correspondentium actibus singulis. Postestque hoc a contrario confirmari, quia peccator non per singula peccata, nec per eorum collectionem, quantumque illa multiplicet, meretur de condigno privari in hac vita omnibus auxiliis efficacibus ad bene operandum, vel ad suam conversionem; ergo est idem in bonis servata proportione. Solum posset fieri objectio de actu Martyrii, quia post illud completum non relinquatur locus cadendi. Sed omissis aliis Martyrii prærogativis, quæ pertinent ad divinam gratiam, et liberalitatem, perseverantia, de qua nunc agimus, et quæ cum illo conjuncta est, non provenit ex merito; imo neque ex nova subsequente gratia distincta ab illa, quæ ad sustinendum martyrium data est. Sed provenit ex natura rei, quia talis est ille actus, ut per mortem consummetur, post quam mortem nequeunt merita mutari, ut dixit Ambrosius, lib. 8 in Luc., in ultimis fere verbis super cap. 16.

22. *Impugnatur jam posterior sensus in n. 19 indicatus.* — *Excusio.* — Et hinc facile probatur altera pars de posteriori modo merendi de condigno perseverantiam, saltem secundum vocationem efficacem post primum actum, et sic consequenter per totam seriem et collectionem vocationum efficacium et actuum meritoriorum; nam dictæ duæ rationes



a priori et a posteriori possunt cum proportionem applicari. Nam imprimis etiam hinc sequitur infallibilis perseverantia, eo ipso quod homo incipit post justificationem de condigno mereri. Nam per primum actum merebitur efficacem vocationem ad non peccandum in prima occasione postea occurrente; ergo infallibiliter obtinebit illam vocationem, et vincet primam occurrentem tentationem; ergo per illam victoriam merebitur alteram præmotionem efficacem pro victoria alterius occasionis seu tentationis primo occurrentis, et sic de cæteris consequenter; ergo isto modo erit infallibiliter connexa perseverantia cum primo actu meritorio de condigno post justificationem, et consequenter sequitur idem absurdum. Neque potest hoc vitari constituendo hoc meritum, non in omnibus actibus meritoriis de condigno, sed in quibusdam, vel propter perfectionem eorum, vel propter divinam ordinationem, nam hoc æque improbatum manet in discursu facto. Deinde altera ratio directe ostensiva similiter habet locum, quia unusquisque actus justus habet suum proportionatum et condignum præmium in augmento gratiæ et gloriæ, ad quam dicit intrinsecam habitudinem connaturalem; nova vero vocatio efficax ad subsequentem actum, est novum donum omnino distinctum, et valde extrinsecum respectu præcedentis actus; ergo ex natura rei est omnino extra meritum ejus, et ultra condignum præmium ejus, et alias nullum in divina ordinatione aut promissione fundamentum habet. Et declaratur hoc amplius, quia præsentis actui extrinsecum valde est, quod post illum duret tempus vitæ, vel quod occasio peccandi futura sit, vel non sit; ergo non potest sub meritum talis actus cadere novum auxilium efficax ad non peccandum. Dices non cadere absolute, sed sub conditione, si vita duraverit, vel sub disjunctione, quod vel non permittatur occurrere peccandi occasio, vel quod, si occurrerit, detur auxilium efficax ad vincendam illam.

23. *Suadet evasio ex duplici ratione D. Thomæ. — Affertur prior ratio et applicatur.* — Et ad utramque partem hujus evasionis confirmandam applicari possunt duæ rationes divi Thomæ in dicto articulo nono, quæ subobscuræ sunt, et ideo varie a discipulis ejus explicantur; mihi autem videntur juxta discursum factum explicandæ. Prior est, quia sub meritum de condigno cadit id quod

est terminus ejus, non vero id quod est principium merendi; sed donum perseverantiæ datur ut principium merendi, seu bene operandi; ergo non cadit sub meritum de condigno. Hæc autem ratio difficultatem patitur, quia videtur niti in illo axiomate, quod principium meriti non cadit sub meritum; hoc autem, ut constans sit, respective intelligendum est, quod nullus actus potest esse meritorius sui principii, a quo habet quod sit, vel quod meritorius sit; absolute vero, seu respectu diversorum non esset verum tale principium, scilicet, quod actus non possit esse meritorius præmii, quod sit principium alterius actus; tum quia nihil repugnat idem esse principium unius, et terminum alterius, sicut in punctis et instantibus est manifestum, et in causis et effectibus; nam unus homo, verbi gratia, non potest esse pater sui patris, potest tamen esse pater ejus, qui sit alterius pater. Et in præsentis, homo meretur de condigno aliquod gratiæ augmentum, quod postea est principium alterius meriti, et in merito de congruo est id evidentius, ut postea videbimus; ergo, licet donum perseverantiæ consistat in motione divina, quæ est principium boni operis, quo perseveratur, nihilominus poterit cadere sub meritum prioris actus, cujus non est principium.

24. *Exponitur dicta D. Thomæ ratio. — Posterior D. Thomæ ratio prodest, non obest.* — Nihilominus tamen ratio D. Thomæ solida est. Primo quidem respectu totius collectionis divinarum motionum, in quibus donum perseverantiæ consistit, quia illa collectio incipit a motione divina, et ratione illius est principium totius doni perseverantiæ, ac proinde non poterit cadere sub meritum fundatum in actibus quibus perseveratur, quia illa reducuntur ad illam motionem tanquam ad principium. Et quoad hoc fundatur ratio in illo principio, quod principium meriti non cadit sub meritum, etiam respective intellectum de principio ejusdem meriti. Supponit autem ratio, motionem gratiæ, quæ antecedit justificationem, non posse esse principium merendi de condigno perseverantiæ vel initium ejus, quod per se satis evidens est, ut ostendi. Secundo, potest ratio extendi ad alias motiones efficaces, quæ post primam motionem datam ad inchoandam perseverantiæ, ad illam continuandam dantur. Et sic non est fundanda in illo principio, quod principium meriti non cadit sub idem meritum, nam ad hoc non recte applicatur, ut ratio facta con-

vincit. Sed fundatur in altero principio, quod meritum de condigno ex natura sua solum ordinatur ad id, in quod actus meritorius quasi ab intrinseco tendit tanquam ad terminum. Hoc autem modo non tendit unus actus meritorius ad motionem, quæ est principium alterius, et ideo etiam ex lege vel promissione divina unus actus præcedens non est meritorius motionis efficaciæ ad actus subsequentes, ut explicatum est. Et hoc ipsum confirmat D. Thomas altera ratione, in argumento *Sed contra*, quia si homo meretur de condigno perseverantiæ, reciperet illam infallibiliter, neque illi impedimentum ponere permitti posset, quia hoc ipsum per tale meritum excluderetur; hoc autem est contra experientiam. Quæ ratio supponit eandem rationem talis meriti esse vel non esse in omnibus actibus meritoriis de condigno a gratia procedentibus, nec posse rationabiliter ad hæc opera magis quam ad illa limitari. Et ita est etiam ratio efficax, ut satis declaratum est.

25. *Ad primam probationem partis affirmativæ in num. 18. — Ad secundam.* — Neque contra hoc obstant proxime objecta contra secundam assertionem. Ad primum enim respondetur, esto non sequatur ex contraria assertionem inconueniens ibi illatum, sequi alia, vel non minora, vel satis gravia, præterquam quod conclusio non asseritur tantum propter vitanda incommoda, sed etiam quia per se et directe sufficienter ostenditur. Ad secundum, negatur assumptum, nam rationes factæ convincunt non posse justum per actum præteritum, vel in præsentis factum, mereri de condigno aliquod auxilium efficax sequenti tempore ad alium actum præstandum. Ad probationem autem in contrarium respondeo, esto tale meritum non repugnet gratiæ in hoc sensu, quod non tribuitur naturæ suis viribus operanti, sed per gratiam, et ideo non pertinet ad errorem Pelagii, nihilominus in alio sensu repugnat gratiæ et personæ creatæ per illam operanti, quia excedit vires et capacitatem ejus. Sicut quod purus homo justus mereatur de condigno alteri, non repugnat gratiæ in priori sensu, repugnat autem in posteriori, quia gratia unius per se non ordinatur ad salutem vel beatitudinem alterius. Sic ergo per unam motionem gratiæ, seu actum ejus, mereri de condigno alium sequentem actum, vel motionem efficacem ad illum, excedit vires gratiæ, quia per se non est ordo inter illos actus vel illas motiones, sed omnes ad

perfectionem sanctitatis et beatitudinis ordinantur. Unde non recte dicitur primus actus ordinari ad secundum, et secundus ad tertium ordine causalitatis, aut meriti, vel mediæ ad finem, sed tantum ordine successionis et temporis, qui ordo ad rationem meriti accidentarius et insufficientis est.

26. *Pro responsione probationis tertiæ in eodem num. 18 præmittuntur aliqua certa.* — Petitur autem in tertio argumento an possit justus de condigno mereri saltem auxilia sufficientia ad actus subsequentes. In quo distinguendum est inter auxilia sufficientia. Nam quædam sunt simpliciter necessaria ad potestatem perseverandi, alia non sunt sic necessaria, licet sint utilia. De prioribus nonnullum est dubium, sed potest breviter expediri. Supponimus enim hæc necessaria auxilia omnibus infallibiliter dari, quod non solum de justis, sed etiam de omnibus viatoribus verum est in aliquo sensu, ut in libro tertio late tractavi. Tandem de his auxiliis, quæ peccatoribus dantur, nulla est in præsentis controversia, quia de omnibus auxiliis, quæ peccatori dantur, ut justificetur, vel etiam de illo quod datur in ipso instanti intrinseco in quo justificatur, vel potest justificari, si velit, certum est non cadere sub meritum de condigno illius, cui danda sunt, quia ante justificationem non datur status merendi de condigno. Alia vero sunt auxilia necessaria post justificationem ad perseverandum aut bene operandum. Et inter hæc considerari possunt aliqua auxilia, quæ post justificationem necessaria sunt ad novum opus meritorium inchoandum, seu primo efficiendum. Et de his etiam certum est non cadere sub meritum de condigno; tum quia ante talia auxilia nullum præcedit meritum de condigno gratiæ, sicut supra de auxilio efficaci argumentati sumus, nam quoad hoc æque procedit discursus in auxilio sufficiente, ut illud tertium argumentum probat; tum etiam quia hæc auxilia necessaria debentur ipsi gratiæ habituali debito connaturalitatis, sicut unicuique rei aut potentiae debetur concursus illi connaturalis. Unde nemo potest mereri de condigno hæc auxilia, nisi qui meretur de condigno gratiam; cum ergo prima gratia non cadat sub meritum de condigno, neque ista prima auxilia, quæ ratione illius dantur, possunt sub tale meritum cadere.

27. *Respondetur jam ad dictam probationem quoad sufficientia et necessaria.* — At vero de auxiliis sufficientibus ac necessariis, quæ post